DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS
DE
PLEURITIDE VERA.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPTIMO MAXIMO,

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.

Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academia Lugd.-Batava Profeſſoris Ordinarii, digniſſimi.

NEC-NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè, ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

ADOLPHUS CUNRADUS LANGELOTT,
Sleſwicenſis Holſatus.

Ad diem 7 Iulii, loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXI.

1185. g. 16
2

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO,

CHRISTIANO ALBERTO,

HÆREDI NORWEGIÆ,

COADJUTORI EPISCOPATUS LUBECENSIS,

DUCI

SLESWIGÆ, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, ET DITHMARSIÆ,

COMITI

IN OLDENBURG ET DELMENHORST,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM HUMILLIMA DEVOTIONE

D. D. D.

SERENISSIMÆ SUÆ CELSITUDINIS,

SUBJECTISSIMUS SERVUS,

ADOLPH. CUNRAD. LANGELOTT,

SLESW. HOLSAT.

AUTHOR.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PLEURITIDE.

PROOEMIUM.

Optimè dixit Vir quidam doctus: *Medicinam exercere, eſſe intueri miſeriam humanam.* Quot enim, quæſo, morborum genera Medico, quibus homines quotidiè exponuntur, non ſe ſiſtunt? Mox audias hominem, qui videbatur ſanus, ſubitaneâ intra quadrantem horæ corripi morte. Mox querulas percipimus preces, ut ægrum inſenſibili inediâ emaciatum priſtinæ ſanitati reſtituamus. Nunc hydropicus Medicorum implorat opem, nunc chiragricus & podagricus: Hic ægrum calculus, illic convulſiones acerrimæ illum excruciant: Jam febres tertianæ, quartanæ, imò peſtilentiales ipſius invadunt corpus, jam gangræna & ſphacelus artus exedunt. Sane exindè liquet nullam fermè partem corporis eſſe, quæ non morborum ſubjicitur ſpiculis. Pagellæ hæ non ſufficerent, ſi inciperem omnium nominum morborum hîc mentionem facere; eſſetque idem ac ſi Æthiopem dealbare niterer, tot ſunt illorum genera, ut taceam ſpecies; ut agmina illa non ineptè vocare poſſis: Mas ſuos peculiares habet morbos, ut inflammationem teſticuli, phymoſin, paraphymoſin, priapiſmum &c. & fœmina ſuos, ut molam, abortum, chloroſin, procidentiam uteri, ſuppreſſos menſes, paſſionem hyſtericam, picam, malaciam &c. Inter illos verò, qui & maribus & fœminis ſunt communes, conſideremus quæſò, ſi ullus morbus aut *dolor* poſſit inveniri magis acutus, quam *pleuriticus*? In hoc enim affectu non unum tantum malum ægrum invadit, ſed plurima; licet dolor pungens lateris ita

excruciet hominem, ut metuat reſpirare, attamen febris acuta non deſinit ſuum quoque contribuere ſymbolum, ita ut ſæpè per atroces illos dolores, quos ægri patiuntur, in delirium incidant, dicantque ſe torturæ, imò cruciatibus, quaſi gehennæ, eſſe expoſitos. Deſperanda eſſet noſtra conditio vitæ, ſi nullum nobis levamen poſſit adferri. Profectò nobis ipſis injiceremus manus, ut ſic finem dolorum imponeremus: Sed non opus eſt, ut hæc ad extrema & impia recurramus remedia: poſſumus gratiâ Dei T. O. M. ſalutaria iis adferre, quæ τῶν θεῶν χεῖρες appellantur, perſpectâ prius ipſorum cauſâ. Itaque animum meum induxi in hâc *Diſputatione inaugurali*, exponere paucis 1. quid ſit pleuritis, 2. ipſius cauſam, 3. ſigna diagnoſtica & prognoſtica, 4. denique quomodo illa, vel Chirurgiâ, vel Pharmaciâ, vel Diætâ, poſſit ac debeat curari. Antequam autem ad hunc laborem, qui mihi ſatis difficilis ac arduus videtur, progrediar, hic preces meas fundo ardentiſſimas, ut Deus T. O. M. humani noſtri generis Creator ac conſervator, meas cogitationes ita dirigere velit, ut, quicquid huic chartæ committo, tendat in ſui honorem ac gloriam, proximique ſalutem ac emolumentum, inque ſtudiorum meorum augmentum: Juva Jehova, juva!

Thes. I.

Itaque ut ordinem, quem hîc plerumque obſervant, ſequar; paucis hujus *nominis* derivationem attingam: parum curam gerens illorum, qui in explicandis nominibus totas conſumunt pagellas, cum tamen non Medicorum, ſed Philologorum eſt, ea conſiderare. Derivant omnes vocabulum hoc πλευρίτις ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, quod ſignificat *coſtam, latus, & membranam coſtas intrinſecùs cingentem*. In genere vero fumitur, ſed minùs proprie, pro omni dolore thoracis, ſive ſit in dextro, ſive in ſiniſtro latere, aut in ſterno, aut in hypochondriis. In ſpecie & *propriè* dicitur: *Inflammatio membranæ coſtas veſtientis.*

II.

Perſpectâ igitur hujus vocis origine, me accingo ſine ullis verborum ambagibus ad *definitionem* hujus morbi. Priuſquam autem mihi liceat accuratam illius tradere definitionem: non incongruum eſſe puto, ut primum tribus tantum verbis hujus *diſtinctionem* conſideremus.

III.

Autores hunc affectum communiter diſtinguunt in *pleuritidem veram*

ram & notham. Veram appellant *inflammationem pleuræ cum febre frequenti, continuâ, tuſſi, pulſu duro, celeri, ac frequenti, & difficultate reſpirandi; ſive fiat in latere dextro aut ſiniſtro.* *Notha* eſt *dolor* quidem *lateris punctorius vagans, qui mox ſeſe oſtendit lateri ſiniſtro, mox dextro; modo etiam hypochondria, imo etiam muſculos abdominis occupat, ſine ullâ febre, aut ſaltem ſenſibili.* Et hæc eſt omnium Medicorum communis & utilis ad praxin diſtinctio.

IV.

His præmiſſis definitio pleuritidis ex antedictis ſatis *clarè & diſtinctè* apparet. Scilicet quòd ſit: *Inflammatio Pleuræ cum febre acutâ & continuâ, tuſſi, pulſu duro, celeri, ac frequenti, & difficultate reſpirandi.* Quid ego per inflammationem intelligam in ſeqq. hujus morbi *cauſam* pertractans, dabo. Hîc primum *locus*, ubi illa inflammatio fit, pertractandus mihi occurrit.

V.

In ſupradictis Pleuram eſſe, hoc eſt, membranam coſtas ſuccingentem, diximus: lubet jam illam anatomico ſubjicere cultro, ut ſic in illius ſitûs, connexionis, ut & ſtructuræ cognitionem deveniamus. De hâc itaque Anatomici nobis tradunt, quod ſit duplex totam capacitatem medii ventris occupans, & annexa perioſtio coſtarum, ut & muſculis intercoſtalibus; ſuperficies eſt ſimplex in capacitate thoracis, & plicata ſub coſtis. Intra duplicaturam ramulos venæ azygos & intercoſtalis ſuperioris, & arteriarum intercoſtalium inferiorum & ſuperiorum, denique duodecim ramulos nervorum in utroque latere dorſi habet. Sæpiùs evenit, ut hæc membrana ita cum lobis pulmonum cohæreat, ut illa ſine dilaceratione membranæ pulmonum non poſſit divelli: Hoc *Dn. Leſcot*, Chirurgus Pariſienſis Expertiſſimus, & Anatomicus ſummus, Præceptor meus æternùm devenerandus ſuis commenſalibus demonſtravit. Diaphragma quoque ex unâ parte inveſtit, & aſcendens verſus ſternum in mediaſtinum abit: Valde delicata eſt, & acutiſſimi ſenſûs.

V I.

Quæſtio exorta eſt inter Medicos: *num in pleuritide exquiſitâ ſola pleura, aut muſculi etiam intercoſtales interni, aut pulmones afficiantur? Fernelius lib.* v. *cap.* XI. in eâ eſt ſententiâ, quod illa vel in muſculis meſopleuris, vel inter hos & membranam ſuccingentem, vel in utramque ſedem incidat. *Galenus* ſententiam amplecti videtur, *lib.*

excruciet hominem, ut metuat reſpirare, attamen febris acuta non deſinit ſuum quoque contribuere ſymbolum, ita ut ſæpè per atroces illos dolores, quos ægri patiuntur, in delirium incidant, dicantque ſe torturæ, imò cruciatibus, quaſi gehennæ, eſſe expoſitos. Deſperanda eſſet noſtra conditio vitæ, ſi nullum nobis levamen poſſit adferri. Profectò nobis ipſis injiceremus manus, ut ſic finem dolorum imponeremus: Sed non opus eſt, ut hæc ad extrema & impia recurramus remedia: poſſumus gratiâ Dei T. O. M. ſalutaria iis adferre, quæ τῶν θεῶν χεῖρες appellantur, perſpectâ prius ipſorum cauſâ. Itaque animum meum induxi in hâc *Diſputatione inaugurali*, exponere paucis 1. quid ſit pleuritis, 2. ipſius cauſam, 3. ſigna diagnoſtica & prognoſtica, 4. denique quomodo illa, vel Chirurgiâ, vel Pharmaciâ, vel Diætâ, poſſit ac debeat curari. Antequam autem ad hunc laborem, qui mihi ſatis difficilis ac arduus videtur, progrediar, hic preces meas fundo ardentiſſimas, ut Deus T. O. M. humani noſtri generis Creator ac conſervator, meas cogitationes ita dirigere velit, ut, quicquid huic chartæ committo, tendat in ſui honorem ac gloriam, proximique ſalutem ac emolumentum, inque ſtudiorum meorum augmentum: Juva Jehova, juva!

THES. I.

Itaque ut ordinem, quem hîc plerumque obſervant, ſequar, paucis hujus *nominis* derivationem attingam: parum curam gerens illorum, qui in explicandis nominibus totas conſumunt pagellas, cum tamen non Medicorum, ſed Philologorum eſt, ea conſiderare. Derivant omnes vocabulum hoc πλευρῖτις ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, quod ſignificat *coſtam, latus, & membranam coſtas intrinſecùs cingentem*. In genere vero ſumitur, ſed minus proprie, pro omni dolore thoracis, ſive ſit in dextro, ſive in ſiniſtro latere, aut in ſterno, aut in hypochondriis. In ſpecie & *propriè* dicitur: *Inflammatio membranæ coſtas veſtientis.*

II.

Perſpectâ igitur hujus vocis origine, me accingo ſine ullis verborum ambagibus ad *definitionem* hujus morbi. Priuſquam autem mihi liceat accuratam illius tradere definitionem: non incongruum eſſe puto, ut primum tribus tantum verbis hujus *diſtinctionem* conſideremus.

III.

Autores hunc affectum communiter diſtinguunt in *pleuritidem veram*

ram & notham. Veram appellant *inflammationem pleuræ cum febre frequenti, continuâ, tuſſi, pulſu duro, celeri, ac frequenti, & difficultate reſpirandi; ſive fiat in latere dextro aut ſiniſtro. Notha* eſt *dolor* quidem *lateris punctorius vagans, qui mox ſeſe oſtendit lateri ſiniſtro, mox dextro; modo etiam hypochondria, imo etiam muſculos abdominis occupat, ſine ullâ febre, aut ſaltem ſenſibili.* Et hæc eſt omnium Medicorum communis & utilis ad praxin diſtinctio.

IV.

His præmiſſis definitio pleuritidis ex antedictis ſatis *clarè & diſtinctè* apparet. Scilicet quòd ſit: *Inflammatio Pleuræ cum febre acutâ & continuâ, tuſſi, pulſu duro, celeri, ac frequenti, & difficultate reſpirandi.* Quid ego per inflammationem intelligam in ſeqq. hujus morbi *cauſam* pertractans, dabo. Hîc primum *locus*, ubi illa inflammatio fit, pertractandus mihi occurrit.

V.

In ſupradictis Pleuram eſſe, hoc eſt, membranam coſtas ſuccingentem, diximus: lubet jam illam anatomico ſubjicere cultro, ut ſic in illius ſitûs, connexionis, ut & ſtructuræ cognitionem deveniamus. De hâc itaque Anatomici nobis tradunt, quod ſit duplex totam capacitatem medii ventris occupans, & annexa perioſtio coſtarum, ut & muſculis intercoſtalibus; ſuperficies eſt ſimplex in capacitate thoracis, & plicata ſub coſtis. Intra duplicaturam ramulos venæ azygos & intercoſtalis ſuperioris, & arteriarum intercoſtalium inferiorum & ſuperiorum, denique duodecim ramulos nervorum in utroque latere dorſi habet. Sæpiùs evenit, ut hæc membrana ita cum lobis pulmonum cohæreat, ut illa ſine dilaceratione membranæ pulmonum non poſſit divelli: Hoc *Dn. Leſcot*, Chirurgus Pariſienſis Expertiſſimus, & Anatomicus ſummus, Præceptor meus æternùm devenerandus ſuis commenſalibus demonſtravit. Diaphragma quoque ex unâ parte inveſtit, & aſcendens verſus ſternum in mediaſtinum abit: Valde delicata eſt, & acutiſſimi ſenſûs.

VI.

Quæſtio exorta eſt inter Medicos: *num in pleuritide exquiſitâ ſola pleura, aut muſculi etiam intercoſtales interni, aut pulmones afficiantur? Fernelius lib.* v. *cap.* XI. in eâ eſt ſententiâ, quod illa vel in muſculis meſopleuris, vel inter hos & membranam ſuccingentem, vel in utramque ſedem incidat. *Galenus* ſententiam amplecti videtur, *lib.*

5. *de loc. aff. c.* 3. ubi ita dicit: *Intercoſtalibus muſculis internè inflammatis membranam pariter cum ipſis inflammari neceſſe eſt. Veluti rurſus, ubi ipſa (ſcil. pleura) aliquandò primariò affectu infeſtatur, intercoſtalium muſculorum partes internæ ſimiliter ei conſentiunt.* Clariſſimus vero *Williſius* & *Alex. Maſſaria*, ubi de pleuritide agunt, primariò pleuram affici aſſerunt, nec ipſorum opinio mihi videtur abſurda; ſi enim conſideremus ſymptomata hunc affectum concomitantia; Nulla ſpero nobis dubia ſuperfutura, quin ipſorum opinionis ſectatores nos nominemus: Idem *Williſius* alicujus fœminæ pleuriticæ mentionem facit acerrimis convulſionibus vexatæ, Hæ non potuiſſent fieri, meo quidem judicio, niſi materia acris intra duplicaturam hujus tunicæ collecta arroſiſſet duodecim illos nervos ex ſpinâ medullari, quaſi fonte nervorum extra cerebrum, provenientes, & per foramina & fiſſuras vertebrarum tranſeuntes, & intra pleuræ fibras deſinentes. *Locum itaque primarium pleuram eſſe* contendò: Nec inficias eo, muſculos intercoſtales internos, ſuccedente tempore à ſanguine ſalſo ac acri intra pleuram collecto, quoque arrodi; & tali modò pulmones quoque affici poſſe ſtatuo, quod *Clariſ. D. Sennertus* ſemper fieri aſtruit, ubi ſuperior hujus membranæ pars patitur: *Eſt* enim dicit in ſequentibus *pleura cum membranâ pulmonis communio, & præcipuè verſus collum, & circa exortum aſperæ arteriæ per fibras multas cum pleurâ pulmo cohæret*; Sed neſcio, an illius eſfatum *ſemper* eſt verum. In illis hominibus; quorum pulmones pleuræ adnati ſunt, quod ſæpius fit, ut videre eſt in *th. præcedenti*, hoc accidere fateor; Materia enim contenta intra pleuram transſudat propter efferveſcentiam illam peregrinam, quam ſuffert, per poros pleuræ, quaſi in unum cum membranâ pulmonum coalitæ, atque ſic obſtructiones ibi parit. Et eodem modo muſculi intercoſtales infeſtantur.

VII.

Vidimus jam *locum*, ubi iſte morbus ſe primùm exhibet: Non abs re mihi videtur, ut jam pertractemus *cauſam*, quæ nobis producit hæc acerrima ſymptomata. Et cum Authores cauſas morborum communiter deſtinguant in *Internas* & quidem *proximas* & *remotas*, nec non *Externas*: nos eorum veſtigiis inſiſtere decrevimus. Hæ enim nobis ſemper efficiunt, ut in cognitionem mali deveniamus: Hâc perceptâ optimè *curationem* proſequi poſſumus, cum ſciamus, medicamina cauſis morborum ſemper debere ex adverſo reſpondere.

VIII. *Cau-*

I X.

Cauſam igitur & quidem *proximam* ſtatuo Obſtructiones, ob humorum particulis *ſalinis viſcoſis* permixtorum ſtagnationem, factas. Hæ enim particulæ extravaſatæ *rigidæ* in poros pleuræ adactæ, & per inconvenientiam pororum retentæ, iſtos eo modo opplent, ut non niſi materiæ ſubtiliſſimæ tranſitus detur: Vacuum enim ſtatuere abſurdum, & naturæ extenſionis contrarium eſſet. Neceſſum igitur erit, ut ſpatiola illa repleantur materiâ admodum ſubtili, hæc, quia non ſatis eſt ſubtilis, quæ dicitur *ſecundi* aut *tertii elementi materia*, reliquum eſt, ut ſola materia illos tranſeat *primi elementi*: ſcil. ille primus motor noſtri corporis, ut & aliarum omnium rerum in macrocoſmo exiſtentium: teſte Cart. Tom. 1. epiſt. 45. & 48. &c. Salinæ quippe non facilè ob ſuam rigiditatem pororum mæandris variis ſe accommodant, dum ergo adiguntur quaquaverſùm, & ſpeciatim quoquè in conſtantes membranarum poros, cum quibus, nec quoad magnitudinem, nec quoad figuram omninò conveniunt, eos quidem ingrediuntur, non tamen tranſeunt, ſed in iis hærent, veluti corpora v. c. pyramidalia, quorum baſes latiores ſunt poris, quos intrant, cuſpide quidem quodammodò permeant, ſed latitudo baſium facit, ut hæreant. Et cum hæc omnia lege mathematicâ in macrocoſmo fiant, quidni etiam in microcoſmo concipere ea liceat; quia illa corpora quamvis minima non deponunt formam.

I X.

Chymici ſe aliquid magni dixiſſe ſibi videntur, culpantes acidum in quovis fermè affectu. Quod, cum alcali quoddam in ſanguine offendit, cum ipſo efferveſceret, inflammationemque parti induceret: Sed illorum effatum non *ſemper* verum eſt: ſi vel enim daremus omnem efferveſcentiam fieri a concurſu acidi & alcali: Non tamen ab omni efferveſcentiâ eſt inflammatio. Quippe nunquam ventriculus & cor eſſent inflammationis expertia, neque nos febris acutæ continuæ. Hæ ergo ſunt conditiones cauſarum inflammationis. Primùm ut ſit *conſtantia pororum*, uti videmus inflammationem ſemper fere accidere in partibus membranoſis &c. 2. ut adſit rigiditas particularum, quales ſunt *Salinæ*. 3. ut ingrediantur poros. 4. ut non omninò conveniant cum iſtis, adeoquè hæreant in iis. 5. ut illas non omninò repleant, ſed reliquias poſt ſe relinquant, tam exiguas, ut nonniſi materiæ ſubtili tranſitus detur.

X. Ex-

X.

Ex his præmiſſis non difficilè erit cauſam *febris*, hunc affectum concomitantis, dare. Nam cum diximus in præcedenti theſi, quòd materia illa ſubtilis continuo per interſtitia, à pororum inæqualitate relictâ, permeet; ignis inſtar, ſanguinem in vicinis arteriis & venis contentum in motu & ſitu particularum turbat, non aliter ac fulmen vas vino repletum penetrat, & illi inſuetum ac peregrinum motum particularum inducit, ut, quod modò clarum & limpidum, nunc turbidum appareat. Sic quoquè cum recto illo motu per humores partium ſolidarum & ſanguinem tranſit, non auſcultat inteſtino illi motui; à quo fermentatio ſanguinis, ejuſque humorum, & mixtura accurata diverſarum particularum in iis conſervatur, adeoquè peregrinâ ſuâ invaſione illum motum turbat, ſitumquè particularum inter ſeſe mutat, ita, ut ſingulæ guttæ ſanguinis particulas ſuas heterogeneas non habeant amplius eo ordine diſpoſitas, quem in ſtatu naturali habebant: verùm tali, ut materia illa ætherea faciliùs motum ſuum proſequi poſſit.

X I.

Hic itaque ſanguis ſecundum interiorem mixturam turbatus, dum lege circulationis tendit ad cor, facit ibi *pulſum febrilem*, in *initio* quidem *debilem*; quando, ut ſanguis turbatus ineptior eſt ad fermentationem, ſed *poſtea majorem*, uti ligna viridia demum accenſa, minùs; ſed poſtmodum vehementiùs ardent. Prout nunc illa ſeceſſio aut major aut minor, inde *febris* eſt aut *magnitudo* aut *levitas*: Neceſſum igitur eſt, ut inflammatio prius alicujus partis in corpore adſit, in quâ notabilia vaſa ſanguinea ſunt diſtributa, per quæ materia illa ſubtilis copioſiùs tranſit, antequam febris ſequatur: Quamdiu jam inflammatio in corpore adeſt, tamdiu etiam febris continua.

X I I.

Remota cauſa ſanguinis eſt abundantia; ſive illa conſiſtat in *plethorâ* ſive in *cacochymiâ*; ſuppreſſâque illius conſuetâ evacuatione, ſive per nares, ſive per menſes, alvi ſedes, hæmorrhoides, ulcera inveterata &c. A vulnere thoraci inflicto pleuritidem ortam eſſe, ipſemet vidi in juvene Anglo, qui, cum ipſi infligeretur vulnus, à latrone quodam Pariſiis nocturno tempore, ipſo momento in pleuritidem incidebat ſatis acutam; & poſtero die è vitâ excedebat.

XIII. Ex-

XIII.

Externam quod ſpectat *cauſam*, illam in rebus *naturalibus* & *non-naturalibus* pono. *Naturales* ſunt temperamentum, ætas, regio, anni tempus &c. *Non naturales* ſunt: *Primùm Aër*, ſive ſit nimis calidus, ſive nimis frigidus: imprimis hic illi *ſubitò* ſuccedens. *Hic* dum corpus noſtrum ambit, aut intrat, ſanguinis in vaſis fluentis motum ſegniorem reddit, imò planè detinet, ſic ut, qui anteà fluidus & tenuis per capillaria vaſa arteriarum, & venarum non impeditus tranſibat, nunc ob iſtam coagulationem, & inde ſequentem ſtagnationem craſſior factus detineatur, obſtructionibuſque anſam præbeat, illaſquè faciat: unde ſymptomata, ſuperiùs à me ſatis explicata, producuntur. *Ille* ſcilicet calidus, quando tantam efferveſcentiam in corpore efficit, ut particulas quaſdam craſſiuſculas, & non nihil viſcoſas per tunicas arteriarum tranſmittat, quæ alias non fuiſſent egreſſæ. Hæ ibi depoſitæ hærent, quia non poſſunt ſuum abſolvere curſum, obſtructioneſque pariunt. Sic vidi Pariſiis præteritâ hyeme triſtiſſimum exemplum amici mei, lithotomi & Chirurgi inſignis *Dn. Thierry*. Hic cum negotiorum cauſâ per plateas aliquantulum diſcurriſſet, paululumque incaluiſſet, domum rediens talem atrocem dolorem in ſiniſtro latere, è regione diaphragmatis, intra 2. & 3. coſtam ab inferioribus numerando, ſenſit, ut lecto ſe committeret: Sequenti die Medicus ordinarius illius Noſocomii, quod vocatur *l' hoſtel Dieu*, illum viſitat, ipſique venam ſecari jubet; ſed omnia ipſius tentamina incaſſum fuerunt; quinto enim die ex hâc moleſtiſſimâ ærumnarum valle exceſſit.

XIV.

Secundò Cibus & Potus. Si enim aſſumpta ſunt nimis calida, aut acria, ut: nimius uſus Piperis, manducatio vitrorum &c: item calidus potus, ut nimius uſus ſpiritus vini, aut vinum: hujus triſtiſſimum vidi exemplum, ante tres annos, ſtudii gratiâ, hîc degens. Erat Juvenis, nuper maritus, hic cum ſuis amicis quodam die ſatis largè genio indulgebat, ita ut vino admodum captus domum rediret, & ſè lecto committeret: Cumque jam ab ingeſto illo potu mediâ nocte urgeretur, ut nec dormire, nec quieſcere poſſet, ſeque ſuffocari putaret; digitum ori admovit, & omnia illa ingeſta ejecit. Hoc quod ſine magno corporis motu non fuit factum. Quod dum faciebat, ingentem dolorem punctorium lateris ſiniſtri, ſenſit, ut vix poſſet reſpirare: ſequenti die febris illum excipiebat continua, acuta;

 cum

cum excretione ſputi ſanguinolenti, & quidem ſpumoſi. Omnia ipſi adhibebat Medicus remedia, ſed omnia irrita fuerunt; Septimo enim die cum ingenti delirio moriebatur. *Tertiò nimius motus* aut *inconſuetus*; cujus exemplum in Galliâ vidi in juvene quodam Germano: hic cum mecum iter faceret equo; incidebat quoque in ſatis acutum dextri lateris dolorem; qui cauſa erat, ut conſortium noſtrum invitus relinquere cogeretur. Lectum itaque calidum ingrediebatur, meque rogabat, ut Chirurgum accerſiri juberem, qui quoque ſtatim acceſſit, & ipſi venam ſecuit, hinc aliquod levamen ſenſit; & cum reliqui hîc commorari diutius nollent, coactus fui illum relinquere, Chirurgoque dixi, ut illi, ſi neceſſitas urgeret, adhuc ſæpius pertunderet venam, quod ſepties factum fuit, & ſic Aurelii, ubi tunc temporis eram, me ſanus inviſit. Huc ſpectat *nimia Venus*, *ictus*, *lapſus*, *vociferatio*, quorum exempla apud Autores extant. Denique *ira* quoque cauſam huic affectui præbet. Plura exempla videri poſſunt in notis & obſervationibus *D. Friderici Deckers Practici* celeberrimi conſcriptis in Praxin Barbettianam; ut & in obſervat. *Balthaſaris Timai ab Guldenklee*. &c.

X V.

Nunc ordo requirit, ut *Signa* tam *diagnoſtica*, quam *prognoſtica* conſideremus. Illa ex definitione à nobis traditâ *theſ.* III. *&* IV. ſatis conſtant. 1. *quod adſit dolor lateris punctorius acutus*. 2. *reſpiratio difficilis, frequens, parva*. 3. *Pulſus magnus*. 4. *Febris acuta, continua*. 5. *Tuſſis*: Hæc in ſequenti theſi exhibebimus. Superiùs lateris doloris, ut & febris cauſam audivimus, reſtat, ut reliqua philoſophico inſpiciamus oculo: Primùm ſe nobis ſiſtit *difficilis reſpiratio*, & quidem *frequens & parva*: ſed antequam illam explicare aggrediar, in anteceſſum monere volo, ut theſin V. reſpiciant, ubi aliqualem dedi deſcriptionem pleuræ: Scilicet, quod illa ex unâ parte circumveſtiat diaphragma, ut & aliquos muſculos reſpirationi dicatos intercoſtales internos & triangulares. Verùm quoniam illud, tanquam organon primarium inſpirationis in inſpiratione ita inflatur ob copioſiorem influxum ſpirituum; ut, non obſtante omnium viſcerum in abdomine contentorum reniſu, deorſum detrahatur, ob cohærentiam & connexionem, quæ ipſi intercedit cum reliquâ portione pleuræ, magis magiſque illa diſtenditur; ſolutionemque continui minatur aut infert; humoreſque intra illam ſtabulantes ad majorem motum & fermentationem incitantur, ut ſtimulis ſuis valde acutis tunicam

magis

magis vellicent & mordicent. Sic ut Pleuritici non tam reſpirent difficulter; quam potiùs ob metum imminentis doloris altè inſpirare non audeant.

XVI.

Deinde etiam partes illæ adjacentes pleuræ affectæ non poſſunt ita diduci ob ſolutionem continui, & ob inflammationem, ut antea ſolebant, dum fibræ magis tenſæ ſunt factæ, & cum diaphragma non planè detrahitur, tantum temporis non conſumit, quantùm aliàs ad inſpirationem in ſtatu naturali conferebat: unde expiratio citiùs inſpirationem ſequitur. *Swammerdamus* & *Williſius* hac de re poſſunt conſuli, qui ex fundamento illam rem pertractarunt. Tranſeo ad *tuſſis* cauſam, quæ in hoc affectu à materiâ aliquâ acri, ſputò inhærenti, oritur: dum enim illa è pulmonibus egreditur, tunicam illam, arteriam aſperam intrinſecùs veſtientem, lancinat, unde ſpeciem convulſionis producit, quæ nihil aliud eſt quam ſubitanea inflatio muſculorum abdominis, quâ dum diaphragma ſurſum pellitur, per conſequens in exſpiratione aërem è pulmonibus expellit. Anatomia quoque nos docet eſſe communionem aliquam nervorum muſculis abdominis cum hiſce partibus, quæ ſcilicet ex eodem trunco fibrillas mittit, & ad illos muſculos, & ad aſperam arteriam, & fauces, ita ut lancinatis his; quæ v.gr. in fauces & aſperam arteriam protenduntur, non ſolum ſpiritus influant copioſiùs in eorum tubulos; ſed etiam ramulos, qui feruntur ad muſculos abdominis. Pulſum *durum* quod attinet, & ab Auctoribus hîc memoratur, imaginarium eſſe duco; niſi quatenus idem eſt cum magno ſ. vehemente, (Galeno cum ſuis ſequacibus entia citra neceſſitatem multiplicantibus:) qui non aliundè eſt, quam ſolet in omni febre acuta.

XVII.

Porro conſiderandum nobis erit; *quomodo illa ab aliis differat morbis*; ne *peripneumoniam*, aliumve affectum pro *pleuritide* accipiamus; noſtramque curationem perverſo modo incipiamus: 1. *Differt à perpneumoniâ*, quod in hoc affectu pulmones primariò ſint affecti; dolor magis *gravativus* quam *punctorius*, ut ait *Galenus* 4. *de loc. c.* 8. ſemperque in medio potius pectore ſentiatur malum; atque reſpirandi difficultas ſit major, ita ut erecto corpore tantum reſpirare poſſint: Genarum malæ rubeant, ac ſi fuco obductæ eſſent. 2. quod febris in pleuritide ſit acuta magis, proveniens plerumque à ſanguine bilioſo, in perineumoniâ verò febris lenta, nec adeò

acuta, à ſanguine pituitoſo promanans. Ab *inflammatione hepatis* diſtinguitur illa, quod dolor ſemper *in* dextro *hypochondrio gravans* ſit, & hoc quia pauci nervi ad hoc magnum viſcus abeunt; pulſus non ita vehemens, febris admodum parva, tuſſiſque nulla ſit; & ſi adeſt, ſicca eſt. *Galenus 2. de loc. affect.* dicit, quod lingua, facies, & univerſi corporis color alteretur, jecore affecto, ac pallidi fiant, decoremque amittant: *Paulo* & *Tralliano* teſtibus. *Ab inflammatione diaphragmatis* diſcernitur, quod dolor verſus hypochondria ſeſe extendat, deliriumque illum concomitetur ſemper; tumorque ibi nonnunquam appareat, ventriculique orificium moleſtetur: ſputum nullum excernatur, tuſſis rara, & ſi ægrum concomitetur, ſicca.

XVIII.

Hæc itaque ſupradicta nobis *Cognitionem* & *Dignotionem* pleuritidis *vera* dedit, videamus jam ſigna eorum, quæ in hoc morbo evenire poterunt. Hæc ſunt *triplicia*, & *vel* ad ſalutem, *vel* ad mortem terminantur: *vel* affectum præſagiunt in alium morbum commutatum iri. *Primò Signa ſalutis* quod attinet, ſunt hæc ſequentia: Si æger ſputum ſine dolore promptèque rejiciat. *Hipp. prognoſt.* 3. *Idem lib.* 1. *Aphoriſm.* XII. ubi dicit, *ſi ineunte pleuritide expectoratum illicò appareat, brevis eſt morbus.* Si citiùs ſputum ſanioſum, aut per arteriam aſperam, aut urinam, aut alvum excernitur, optimum ſignum eſt, ægriſque ut plurimùm ſanitatem promittit. *Idem lib.* 4. *aph.* 74. *Qui acidum eructant non valde morbo laterali corripiuntur: teſte Hipp. aph.* 33. *lib.* 6. In juvene non adeo eſt periculoſa. Pleuritici ſi ſanguinem è naribus, imò quoque per hæmorrhoides, & è matrice emittunt, pro optimo ſigno habetur: *teſt. Gal.* 10. *methód. cap.* 5.

Sequuntur jam *ſigna mortis. Periculoſa eſt illa, quæ hominem occupat hyeme: Vid Hipp. Sect.* III. *aphoriſ.* 23. Aër enim condenſat humores & poros; ſic ut medicamenta non poſſint eam habere efficaciam, quam æſtate poſſunt exſerere: Prætereà aër frigidus valdè inimicus eſt partibus membranoſis: *pleuritide aut peripneumoniâ vehementer afflicto, ſi diarrhœa ſupervenerit, malum: Hipp. Sect.* VI. *aph.* 16. *Idem Sect.* VII. *aphor.* XI. dicit, *pleuritidi ſuperveniens peripneumonia malum. Si pulſus ſit maxime durus, evidenter ſerratus, parvus, creberrimus; lethalis eſt pleuritis. Galen. cap.* 5. *lib.* 4. *de præſag. è pulſ. Hipp. lib.* 1. *de morbis*; dicit, *mulierem utero gerentem pleuritide corripi, malum.*

ſum eſt, illamque ſemper perire putat. Id. lib. v. aph. 31. *Si mulier gravida ex ullô morbi acuti genere laborat, funeſtum eſt*: Sudor quoque frigidus, lingua arida, citrina, aut nigra, delirium, mortem prædicunt certiſſimam, & ſi urina eſt alba: *Vid. Hipp. aph.* 72. *lib.* 4. ubi dicit, *quibus pellucida alba funduntur urina, calamitoſa, maximè vero in phreniticis tales apparent. Id aph.*50. *lib.* IV. dicit, *quotieſcunque in febrem remiſſionis expertem, difficultas ſpirandi & delirium incidit, funeſtum eſſe. Avicenna* pleuritidem propinquam cordi deteriorem eſſe putat. Peſſima eſt in qua nihil ſputi expuitur. *Vid. Galen. de loc. cap.* 3. & ſi aliquid excernatur, lividi & nigri coloris ſpeciem præ ſe ferat, illam à melancholiâ ortam eſſe, indicat, quæ omnium pernicioſiſſima eſt: *teſt. Galen. lib. de conſt. art. cap.* 6. *Senes* pleuritici plerumque moriuntur, ob virium defectus; quæ ad expectorationem promovendam ſunt neceſſariæ.

Ultimo loco, *Mutatio in alium morbum* examini noſtro ſe ſubjicit: de quâ *Hippocrates lib.* v. *Aph.* VIII. dicit. *Quicunque pleuritici expectorabilem materiam non excludunt intra dies quatuordecim iis in empyema degenerat. Idem eadem Sect. aph.* xv. ait. *Quicunque à pleuritide empyi, hoc eſt, purulenti & ſuppurati redduntur, poſtquam expectorandi finem faciunt* 40. *diebus, ex quo rupta fuit pleuritis, vomicâ liberantur, ſin minus in pthiſin degenerat.* In peripneumoniam quoque tranſire aſſerit: *Idem Sect.* VII. *Aph.* XI. *pleuriticis ſuperveniens peripneumonia, malum.*

In genere obſervandum eſt pleuritidem eſſe morbum *acutum*, *periculoſum* & *brevem*, & ſolvi nunc primâ ſeptimanâ, nunc 2. nunc 3. ceſſareque primum dolores punctorios, mox & febrem, tandem & purulentam excretionem, quæ ſi ſupra dictum temporis terminum tranſit, & febris non ceſſat, ſed lenta fiat, in empyema vel Phthiſin deſiiſſe ſuſpicio erit: plerumque tamen hominem rapit intra 4, vel 7, 8; nonnunquam 14 diem. Hic enim dies eſt terminus acutorum morborum ab Hippocrate præſcriptus. *Vid. Sect.* 2. *aph.* 23. Ubi dicit, *Acuti morbi intra dies* 14. *judicantur.* Raro 20. dies pleuriticus laborat & ſupervivit.

XIX.

Quandoquidem ex *Signis* itaque *prognoſticis* liquet affectum hunc eſſe ſatis *acutum*, hominemque ſæpè intra 24. horas occidere, neceſſum ſanè erit, ut *Curatio citò, tutè, & jucundè* inſtituatur. *Indi-*

 catio-

cationes verò hujus morbi, *duæ* ſunt: 1. *Curatoria*, 2. *præſervatoria.* *Illa* nobis tradit, ut ægrum à morbo & omnibus ſymptomatibus, quantum fieri poteſt, liberemus: & hæc triplici fonte abſolvitur: *Chirurgicô*, *Pharmaceutico*, & *Diætetico. Hæc* ſcil. *præſervatoria*, nobis proponit; obſtructiones eſſe tollendas, ſic ut circulus ſanguinis curſum ſuum, impeditus, poſſit abſolvere.

XX.

Curatoriæ primum fontem ex Chirurgiâ petimus, ut ſupra diximus: Hæc nobis *Venæ ſectionem*, *Cucurbitulas*, *frictiones*, *ligaturas* exhibet. Incipiemus igitur à V. S. tanquàm Sacrâ anchorâ, quæ bis aut ter eodem die, ſi neceſſitas urget, erit celebranda: ut tali modo, imminutâ ſanguinis copiâ, inhibeantur humores, ne eo impetu, quo ſolebant antea in pleuram, inſtar fluctuum impetuoſorum, irruant; eamque diſtendant, imò rumpant; inque partes vicinas faces inferant: Hâc quoque fermentationes illæ inſuetæ diminuuntur, fomeſque febrilis diſſipatur, mixturaque humorum ſanguini reſtituitur. In eâ ferme ſententiâ omnes Medici ſunt, ſed in quo loco, illa ſit inſtituenda, inter ſe non conſentiunt. Veteres, ut præcipuè *Galenus*, *Hippocrates*, *Donatus*, *Argenterius*, *Oribaſius Aëtius*, *Celſus*, & alii, circuli ſanguinis ignari, *derivationem* in V. S. ſemper reſpexerunt; & eam ob cauſam in parte affectâ illam adminiſtrarunt: quia hæ venæ ſunt proquinquiores lateri affecto. Attamen *Avenzoar* Medicus ille celebris *lib.* 1. *Theyſir tract.* 16. *cap.* culpat eos, qui ex eâdem parte affectâ venam ſecabant. Hujus opinionis quoque ſunt *Avicenna*, *Rhazes*, *Haliabbas*, *Meſuë*, *Averrhoës*, qui in latere oppoſito *revulſionis* gratiâ illam pertuderunt; hoc raticinio utentes, ut ſanguini contrarium motum concilient, exque parte affectâ illo turgidâ avertant, inque hoc brachium, quod V. S. paſſum fuerit, quaſi illo exhauſtum & inanitum deducant: & tali modo ægrum à pleuritide liberari autumant. Egregius ſane philoſophandi modus. Excuſandi ſunt hi ob ignorantiam circulationis, & illi magis reprehendendi, quibus illa innoteſcit, nec tamen illam conſulunt; ſed ratiociniis & veſtigiis veterum adhuc inſiſtunt. Non poſſum illorum concetpum, quem de *revulſione* habent, concipere: Prætendunt venas ſanguine exhauſtas V. S. è locis contrariis ſanguinem *ſugere, attrahere, & revellere*, quaſi illis oſcula adſcriberent, quibus hoc præſtare poſſent. An neſciunt V.S. ſanguinis impetum minui? quo fit, ut vaſa non amplius

plius tantoperè diſtendat, tantâque copiâ in alias, & ſic conſequenter in partem quoque affectam irruat; neque ibi quædam non deponenda deponat. Et hoc pacto eò melius medicamenta noſtra adhibere poſſumus, ut obſtructiones tollamus, quæ ſtagnationem humorum faciunt.

X X I.

Hujus ratiocinii veteres ignari hunc effectum *revulſionem* nuncuparunt. In hoc adhuc videre licet eorum ignorantiam, qui *ſelectionem venarum* inſtituunt: Sunt, qui *Baſilicam*, qui *Saphenam*, qui *cephalicam*, pertundunt venam. *Avicenna* triplicem ſecat venam, 1. ſaphenam, 2. venam brachii oppoſiti, 3. ejuſdem lateris. Sed ad quid ſervit iſta electio, quid proſunt illa molimina? Nonne ille ſanguis, qui hoc momento in ſaphenâ erat, intrat in cephalicam? nonne jam dextrum latus, jam ſiniſtrum, mox cor ingreditur, mox pedes occupat? Si inſpicerent corporis noſtri machinam, & primariò cor; (quod conſidero, quaſi parvum aliquod mare continuum duobus fluminibus, quorum unum appello arteriam magnam, quæ educit ſanguinem, alterum venam cavam, quæ ab arteriis illum acceptum illi reddit) aliam nobis darent philoſophiam, mecumque dicerent; perinde eſſe, ſi propè cor, aut aliquantum ab eo remotiùs venam ſecemus. Dico igitur nullam eſſe eligendam nec partem, nec venam, ſed perinde eſſe, ubi vena ſecetur, quia vena in brachio dextro tantum ſolatii ægro affert, quantum ſiniſtrum poſſet, ſi ibi V. S. inſtitueretur: tum quoque venæ in dextro, & in ſiniſtro æquali diſtantiâ à corde diſſitæ ſunt.

X X I I.

Sed poſſet mihi *objici*; quod tam conſenſu *Veterum*, quam *Neotericorum* ſaphena in melancholico pertundatur, & ſæpè magno cum ſucceſſu; Reſp. hoc quidem fieri, ſed non, ac ſi ſaphena in hoc affectu aliquid ſingulare præ ceteris venis haberet. E contrario, intendimus evacuationem particularum terreſtrium & viſcoſarum in hoc affectu peccantium: quæ majori in copiâ per aortam deſcendentẽ ad pedes devolvuntur lege naturæ, (omne enim grave deſcendit) ibi V. S. potius inſtitui debet. Quod ſi magnam venam in brachio reperiamus, non verò in crure aut pede, rationi conſentaneum eſt, ut ibi, non autem hîc, venam ſecemus. Ridicula eſt quoque illa obſervatio, quam aliqui habent, qui venam à ſecundâ diei horâ ad quintam, aut ſextam ſolummodo ſecant: aut horis matutinis aut

ſole

ſole occidente: ideoque quocunque die, quâcunque horâ, imo quocunque momento, morbo urgente, venam eſſe ſecandam, præcipimus, quod quoque probat *Galenus lib. de Sanguinis miſsione c.* 12. dum inquit, *nec per noctem nonnunquam incidere venam cuncteris.*

XXIII.

Quantitatem quod attinet, variæ etiam ſunt exortæ inter autores ſententiæ: *Hippocrates* libr. de victu acutorum theſ. 12. vult & commendat, ut tamdiu in V. S. perſeveremus, donec ſanguinis color erit mutatus, hoc eſt, *donec multò rubicundior fluxerit, aut pro puro rubicundo lividus*: ſed *Galenus* hoc rejicit *cap.* 14. *de ſang. miſſ.* dicens non eſſe attendendam mutationem ſanguinis, quia ſæpe accidit, ut exhauſtis viribus, ex. gr. in ſenibus, in infantibus, antequam illa nobis ſeſe exhibeat, ceſſandum ſit: Itaque videmus hoc Senis noſtri monitum eſſe inutile, dum vires potius ægrorum ſunt conſulendæ & non mutatio coloris: Communiter extrahunt ad ℥viij. ad x. ad xii & hoc bis ter in die, prout vires ægri permittunt, & neceſſitas id requirit. *Amatus* in puellâ annos 17. nata, injecto clyſtere, eodem die bis *axillarem* venam ſecuit ad ℥xx. ſanguinis, ſed temerariò. *Id. Centur.* 3. *curat.* 69. idem juſſit fieri in alio: *cent.* 4. *curat.* 88. Et in textore ad duas libras. Nec illorum foveo ſententiam, qui ad deliquium uſque animi ſanguinē mittunt; *Hippocrates* iis aſſentiri videtur, dicens *lib. de Victu acut. th.* 52. *ſanguinem eſſe detrahendum juxta corporis habitum, & tempus, & ætatem, & colorem, plus & confidentor, & ſi acutus dolor fuerit, ducere uſque ad animi deliquium.* Nec *Galenus* ab illô diſſentit 1. *aphor. com.* 23. In ardentiſſimis, inquit, febribus & vehementiſſimis doloribus nullum majus remedium ſe inveniſſe teſtatur, quam V. S. ad animi uſque deliquium. Et *Clariſſ. Dominum Craanen Profeſſorem hujus Academiæ Celeberrimum, Præceptorem meum olim in æternum devenerandum* in Collegio ſuo Theoretico hanc propoſuiſſe quæſtionem, recordor: ſc. *an præſtet ſanguinem affatim emittere, an vero partitis vicibus?* Reſp. in Maniâ, Phrenitide, Anginâ, Pleuritide, &c. ubi magnus eſt ſanguinis impetus, & vires adhuc conſtantes, melius eſſe, affatim illum extrahere, vel ad leviſſimum animi deliquium: In reliquis caſibus, ut in morbis frigidis, non tutò nos tam liberales eſſe poſſe, quàm Veteres fuerunt in illâ adminiſtrandâ: eò quod homo faciliùs in lypothymiam deturbari, quàm inde revocari, queat. His innuere vult, Medicum in V. S. *prudentem* debere eſſe; & reſpicere naturam morbi.

XXIV.

XXIV.

Alii contrà *pleuritidem ſine V. S. curari poſſe proferunt*, ut *Helmontius*, *& alii.* Ad hanc quæſtionem *idem Dn. Craanen in collegio ſuo Practico* diſtinguendo reſpondit: ſcil. inter id, quod poſſibile, & inter id, quod magis tutum: ſic ipſum aliquando virginem pleuriticam, à V. S. abhorrentem, ſine illâ reſtituiſſe ſanitati, retulit; in tali caſu inſerviendum erat tempori, potiſſimaque curationis pars peragenda per inſenſibilem tranſpirationem, ac ſudores. Verùm enim verò cum Medici ſit non ſolùm *citò*, & *jucundè*, ſed & *tutò* curare; hinc omninò putat, uti in omnibus inflammationibus magnis, ſic etiam hic, à V. S. incipiendum eſſe. Opus enim habemus tempore antequam inflammationum diſcuſſionem effectam demus, & ſæpè dolores tam vehementes ſunt, ut non concedant inducias: Tutiſſimum igitur erit à V. S. incipere. Videatur quoquè *Petrus Foreſtus in Obſerv. de pect. pulmonumquè morbis, lib.* XVI. Ubi mentionem facit *fœmina cujuſdam ſine V. S. à ſe curata.*

XXV.

Ultimo loco lubet adhuc illam quæſtionem addere: *Num utero gerenti & Pleuritica venam ſecare liceat? Hippocrates* illud negat. *Aph.* 30. *lib.* V. *Mulieri*, inquit, *ingravidatæ ſi vena pertundatur, abortit.* Sed obſervandum hunc aphoriſmum pati exceptionem. Vidi enim *Pariſiis* quod Hoſpitæ meæ, Conjugi, *Expertiſſ. Domini Leſcot*, ſæpiùs certo quodam dolore lateris vexatæ, bis fuerit ſecta vena, nullo habito reſpectu graviditatis. Sanè id mihi admirationem incuſſit, ubi ex illâ peterem, num V. S. illi non noceret, quod illa mihi regeſſerit, quod ſemper unam & alteram, tempore graviditatis, admitteret V. S. & poſteà ſeſe benè haberet. Dum hæc ſcribo retulit mihi Amicus quidam meus *Dn. van der Waart Med. Doctor*, ſe *Rotterodami* fœminæ in ultimis fermè menſibus gravidæ, & certo ſuffocationis genere laboranti, duodecies ſecuiſſe venam; & quâvis vice libram ſine ullo incommodo, aut fœtûs damno, illi detraxiſſe. Nam poſteà enixa eſt filiolum ſanum & pinguem, & adhuc viventem. Plurima alia exempla apud Authores extant, & experientia hucuſquè teſtatur, quam plures gravidas V. S citra ullum incommodum toleraſſe. Sic in Galliâ etiamque in Germaniâ mos multùm invaluit, ut fœminæ prægnantes, peracto quinto menſe, V. S. admittant, quod niſi faciant in pericu-

lum

lium abortûs incurrant. Denium neceſſe eſt, ſi periculum, in quo mater verſatur, ipſi mortem minatur, ipſius potiùs, quàm vitæ fœtûs conſulamus, eſſet quippè impius ille timor, ſi ab omni remedio recederemus, atquè ſic matrem & infantem perderemus. Nonne præſtat amittere ramum alicujus arboris, quam totam perdere? Porrò *Clar. Tulpium lib.* 2. *cap.* 1. dicit nullum eſſe habendum reſpectum ætatis, ex. gr. ſenum, puerorum &c. ſed, ſi neceſſitas urget, illis adhibendam eſſe V. S.

XXVI.

Sunt, qui tanquam magnum arcanum *cucurbitulas ſcarificatas* in hoc caſu commendant. Sed quid quæſò poſſunt illæ præſtare? Nonnè ſanæ rationi, & circulo ſanguinis repugnat hoc dolorificum, ac inutile planè remedii genus? Reſpondent, magnum ex iis adhibitis redundaſſe ægro emolumentum. Certè non illud concipio, dum conſidero, quomodò illæ apponantur, & quem uſum præbeant. Intendimus ſanguinis imminutionem: Videamus jam, quomodo illa, his nullius momenti remediis, præſtetur. Candelam ceream ſupponunt illis, undè aër intra eas rareſit, hoc facto, eas cuti apponunt, & aër rarefactus iterum condenſatur, ac minorem locum replet, unde fit, ut attollatur cutis intra cucurbitulas, ad locum ab aëre relictum replendum. Has uno atquè altero momento temporis ita applicatas, & in quiete relictas removent à cute, illamque ab aëre illo ſublatam, & attractam incidunt lancettâ, ſic iterum candelam accenſam illis ſupponunt, & tenuiorem ex læſis vaſis capillaribus extrahunt ſanguinem, obſtructionesquè in viciniâ aliquomodò tollunt, ſed ſucceſſus non ſemper eorum votis reſpondet: quia ſæpè accidit, ut humores ita ſint indurati, ut, quamvis tubuli majores ſint facti, iſti propter viſcoſitatem non poſſint egredi. Conſiderandum jam relinquo, ſi iſta extractio ſufficiat, ſi non condemnandus ad tartara ille modus evacuandi ſanguinem, tanquam pernicioſus? Dixi, quod extrahant ſubtiliorem ſanguinem, & indè particulas terreſtres relinquant in corpore tanquam inſtrumenta, producentia novas obſtructiones, quæ hoc in affectu jam ſunt, & reſerationem expoſtunt. Sic illi mihi videntur idem facere cum his, qui ignem extinguere deſiderant, & oleum ſemper affundunt. Ex his itaquè patet iſtos peſſimo hoc præjudicio, quod tot ſecula, tantorumquè Medicorum, ac Chirurgorum animos occupavit, ita obſeſſos

ad-

adhuc eſſe, ut noſſe, imò nefandum crimen putarent, ſi iſti rei contradicerent; parum curam gerentes ſanæ rationis, quæ tamen omnium noſtrarum actionum regina eſſe debet. Idem ſentio de *hirudinibus*, de *frictionibus*, & de *ligaturis*; quæ nihil aliud ſunt, quam inſtrumenta torturæ; doloreſquè magis augent, quàm ut illos diminuant.

XXVII.

Relinquimus fontem primum, & ad *ſecundum*, qui eſt *Pharmaceuticus*, properamus: hic nobis ſimplicia, & compoſita, *Galenica*, & *Chymica* exhibet remedia. Antequam verò ulteriùs progrediar, lubet hic quæſtionem illam proponere, quæ maximè inter medicorum filios ventilatur. *An purgantia pleuriticis ſint exhibenda?* Sunt, qui pro & contra hoc diſputant. *Hippocrates lib. de victu acutor:* affirmativam tenere videtur partem, dum pleuriticis *peplium* & *veratrum* præbet, quæ ſunt medicamenta fortia, & planè ſcammonii vehementiam exæquant. At *Galenus*, teſte *Hieronymo Capivaccio*, *Pract. lib. de affect. med. ventris*, ubi agit de pleuritide, dicit, *ſi febris ſit vehemens, non eſſe purgandum.* Et hunc videtur ſequi *Expertiſſ. Dn. Deckers in Exercit. med. Pract. circa purgantia.* Ubi diſſertè dicit: *purgantia medicamenta in pleuritide non convenire.* Ratio, quam addit, eſt hæc, quia in pleuritide plerumquè adeſt plethora; quæ V. S. & non purgationem indicat. *Nobiliſſ. Williſius Sect.* 1. *cap.* IX. *de pleuritide, à catharticis fortioribus eſſe abſtinendum*, ſuadet. *Clariſſ. Dn. Craanen in collegio ſuo practico*, purgantia hoc in caſu non concedit, niſi in principio, aut declinatione, eaquè tunc valdè lenia ex Mannâ, Caſſiâ, Tamarindis, infuſione Sennæ &c. cujus opinionem amplector, quia hæc leniter purgant, ſanguinemquè non ita exagitant, ut loco affecto inflammationem augere poſſint.

XXVIII.

Hartmannus in Prax. Chym. p. 138. tertio, & quinto die *Aq. Bened. Rulandi* exhibet, ad vomitus ciendos, cum Aq. Card. Mariæ, vel Papav. errat. Sanè hoc remedii genus propter concuſſionem, quæ in hoc affectu periculoſa eſt, non eſt probandum, quia hoc modo malum potiùs augetur, quàm quod tollatur. *Clariſſ. Dn. Alex. Maſſaria in prax. ſuâ, lib.* 2. *de pleuritide*, tanquam inſignem prærogativam habentia *mannam* & *mel violaceum* in affectibus thoracis commendat. Sunt, qui loco medicamenti purgantis *clyſteres lenientes* & *emollientes* adhibent. Et hi non ſunt ſpernendi, ſed

quovis

lum abortûs incurrant. Denium neceſſe eſt, ſi periculum, in quo mater verſatur, ipſi mortem minatur, ipſius potiùs, quàm vitæ fœtûs conſulamus, eſſet quippè impius ille timor, ſi ab omni remedio recederemus, atquè ſic matrem & infantem perderemus. Nonne præſtat amittere ramum alicujus arboris, quam totam perdere? Porrò *Clar. Tulpius lib.* 2. *cap.* 1. dicit nullum eſſe habendum reſpectum ætatis, ex. gr. ſenum, puerorum &c. ſed, ſi neceſſitas urget, illis adhibendam eſſe V. S.

XXVI.

Sunt, qui tanquam magnum arcanum *cucurbitulas ſcarificatas* in hoc caſu commendant. Sed quid quæſò poſſunt illæ præſtare? Nonnè ſanæ rationi, & circulo ſanguinis repugnat hoc dolorificum, ac inutile planè remedii genus? Reſpondent, magnum ex iis adhibitis redundaſſe ægro emolumentum. Certè non illud concipio, dum conſidero, quomodò illæ apponantur, & quem uſum præbeant. Intendimus ſanguinis imminutionem: Videamus jam, quomodo illa, his nullius momenti remediis, præſtetur. Candelam ceream ſupponunt illis, undè aër intra eas rareſit, hoc facto, eas cuti apponunt, & aër rarefactus iterum condenſatur, ac minorem locum replet, unde fit, ut attollatur cutis intra cucurbitulas, ad locum ab aëre relictum replendum. Has uno atquè altero momento temporis ita applicatas, & in quiete relictas removent à cute, illamque ab aëre illo ſublatam, & attractam incidunt lancetâ, ſic iterum candelam accenſam illis ſupponunt, & tenuiorem ex læſis vaſis capillaribus extrahunt ſanguinem, obſtructionesquè in viciniâ aliquomodò tollunt, ſed ſucceſſus non ſemper eorum votis reſpondet: quia ſæpè accidit, ut humores ita ſint indurati, ut, quamvis tubuli majores ſint facti, iſti propter viſcoſitatem non poſſint egredi. Conſiderandum jam relinquo, ſi iſta extractio ſufficiat, ſi non condemnandus ad tartara ille modus evacuandi ſanguinem, tanquam pernicioſus? Dixi, quod extrahant ſubtiliorem ſanguinem, & indè particulas terreſtres relinquant in corpore tanquam inſtrumenta, producentia novas obſtructiones, quæ hoc in affectu jam ſunt, & reſerationem expoſtunt. Sic illi mihi videntur idem facere cum his, qui ignem extinguere deſiderant, & oleum ſemper affundunt. Ex his itaquè patet iſtos peſſimo hoc præjudicio, quod tot ſecula, tantorumquè Medicorum, ac Chirurgorum animos occupavit, ita obſeſſos

ad-

adhuc eſſe, ut nefas, imò nefandum crimen putarent, ſi illi rei contradicerent; parum curam gerentes ſanæ rationis, quæ tamen omnium noſtrarum actionum regina eſſe debet. Idem ſentio de *hirudinibus*, de *frictionibus*, & de *ligaturis*; quæ nihil aliud ſunt, quam inſtrumenta torturæ; doloreſquè magis augent, quàm ut illos diminuant.

XXVII.

Relinquimus fontem primum, & ad *ſecundum*, qui eſt *Pharmaceuticus*, properamus: hic nobis ſimplicia, & compoſita, *Galenica*, & *Chymica* exhibet remedia. Antequam verò ulteriùs progrediar, lubet hic quæſtionem illam proponere, quæ maximè inter medicorum filios ventilatur. *An purgantia pleuriticis ſint exhibenda?* Sunt, qui pro & contra hoc diſputant. *Hippocrates lib. de victu acutor:* affirmativam tenere videtur partem, dum pleuriticis *peplium* & *veratrum* præbet, quæ ſunt medicamenta fortia, & planè ſcammonii vehementiam exæquant. At *Galenus*, teſte *Hieronymo Capivaccio, Pract. lib. de affect. med. ventris*, ubi agit de pleuritide, dicit, *ſi febris ſit vehemens, non eſſe purgandum.* Et hunc videtur ſequi *Expertiſſ. Dn. Deckers in Exercit. med. Pract. circa purgantia.* Ubi diſſertè dicit: *purgantia medicamenta in pleuritide non convenire.* Ratio, quam addit, eſt hæc, quia in pleuritide plerumquè adeſt plethora, quæ V. S. & non purgationem indicat. *Nobiliſſ. Williſius Sect. 1. cap. IX. de pleuritide, à catharticis fortioribus eſſe abſtinendum*, ſuadet. *Clariſſ. Dn. Craanen in collegio ſuo practico*, purgantia hoc in caſu non concedit, niſi in principio, aut declinatione, eaquè tunc valdè lenia ex Mannâ, Caſſiâ, Tamarindis, infuſione Sennæ &c. cujus opinionem amplector, quia hæc leniter purgant, ſanguinemquè non ita exagitant, ut loco affecto inflammationem augere poſſint.

XXVIII.

Hartmannus in Prax. Chym. p. 138. tertio, & quinto die *Aq. Bened. Rulandi* exhibet, ad vomitus ciendos, cum Aq. Card. Mariæ, vel Papav. errat. Sanè hoc remedii genus propter concuſſionem, quæ in hoc affectu periculoſa eſt, non eſt probandum, quia hoc modo malum potiùs augetur, quàm quod tollatur. *Clariſſ. Dn. Alex. Maſſaria in prax. ſuâ, lib. 2. de pleuritide*, tanquam inſignem prærogativam habentia *mannam* & *mel violaceum* in affectibus thoracis commendat. Sunt, qui loco medicamenti purgantis *clyſteres lenientes* & *emollientes* adhibent. Et hi non ſunt ſpernendi, ſed

quovis

quovis fermè die injiciendi, quia, ſi alvus fuerit obſtructa, eluunt inteſtina, fæceſquè educunt, quæ aliàs eſſent naturali modo ejiciendæ. Porrò facilitant quoquè anum, ut ſic ægri tantâ preſſione opus non habeant ad illas ejiciendas. Aliàs muſculi abdominis ſufferunt multùm, & inflantur, dum ſcil. in iſtâ preſſione detinetur aër pulmonibus contentus, qui latera petit, & ſic partem affectam offendit. Multùm ego in clyſteribus pono, nec ſatis eorum effectum laudare poſſum.

XXIX.

His generalibus peractis, ad *ſpecialem curationem* erit tranſeundum. Superiùs theſ. XIX. dixi obſtructiones eſſe reſerandas, ſanguiniquè mixturam debitam reſtituendam, ut ſic reſpiratio difficilis, & febris acuta ceſſent. Igitur non incongruum erit ſtatim poſt V. S. in hoc affectu præſcribere *mixturam* aliquam *ſudoriferam* uno hauſtu ſumendam, quæ conſtabit ex Aq. Card. Benedict. ℥iij. Semin. Card. Mariæ, Bened. ana gr. XI. Theriac. Veter. ʒß. Lapid. Bezoard. gr. VIII. Camph. gr. IV. Sal. Abſint. gr. XVI. Laud. gr. j. Spirit. C. C. gt. xij. Syrup. Papaver. Errat. ℥ß. M. F. Mixtura. Hâc enim tentandum eſt, an materia illa ſtagnans per ſudores poſſit educi, quod optimum eſſet. Et ut voti mei me compotem redderem, præſcriberem decoctum aliquod præparans ſanguinem; ſimulquè poros aperiens, perquè inſenſibilem tranſpirationem illas particulas educens, quæ nobis pleuritidem progignunt, & conſervant, ut indè circulus ſanguinis poſſit impeditus peragi, fermentationeſquè inſolitas compeſci, ac diminui. *Decoctum* ℞. Cortic. Tamariſc. Rad. Capp. Radic. Sarſaparill. Alth. ana ℥j. Herbar. Scabioſ. Capill. Veneris, Fragar. Card. Bened. Mar. ana M. ß. Semin. Bened. & Mariæ ana ʒij. Paſſul. Corinth. ℥j. Ficus num. vj. Hord. mund. Mß. Fiat infuſio calida per noctem in Aq. Font. Manè decoquantur, & Colatur: ℔iij addatur Spiritus C. C. volatil. ℈ij. Sal. viper. ℈j. Syrup. Flor. Errat. Card. Bened. ana ℥j. M. F. *Apozema*. De hoc æger bibat ℥iv. ter in die, manè horâ ſextâ, benè tectus ſtragulis, IV. & vij. Quod ſi dolor adhuc ægrum urgeret, V. S. poſſet repeti quovis die, ſi vires permitterent. Sub veſperam cum decocto ſuprà præſcripto hunc pulverem poſſet aſſumere, qui ℞. Bezoard. mineral. gr. XIV. Salis C. C. aut viper. (ſi haberi poterit) gr. X. Croc. Orient. Lapid. Bezoard. ana gr. vj. Opii gr. j. M. F. *Pulvis*. Opii gr. j. addo, ut fermentationes immi-

minuat, ſomnumquè ægro conciliet, ſi vigiliis torqueatur, doloreſquè leniat: ſed ſi illo indulgeat, ab illius uſu abſtinendum erit. Capiat quoquè cochlearia aliquot hujus *mixturæ* per vices, quod ℞ Aq. Veronic. Scabioſ. ana ℥ij. Card. Bened. Frag. ana ℥j. Spirit. è flor. Sambuc. ʒvj. Mandibul. luc. ℈iv. Theriac. vet. ʒj. Sal Card gr. xij. Croc. Orient. gr. vj. Syrup. hed. terreſtr. ℥j. M. F. Mixtura. Sed ſi dolor ſit intolerabilis, febriſquè magna, præſcriberem ipſi Emulſionem quandam, quæ ℞. Semin. 4 frigid. maj. ana ʒj. Papav. alb. ℥ij. Amygd. dulc. num. x. F. Emulſio ſ. a. cum Aq. Card. Bened. Mariæ. Bugloſſ. Frag. ana ℥iij. poſteà addatur Magiſt. perlar. corall. ana ℈ß. Laud. gr. ij. Edulcoretur cum ſ. q. Julep. Roſar. M. F. Emulſio. Hæc valdè dolorem propter particulas oleoſas molles, quas in ſe habet, leniet, ne ſanguis ille acer, ibiquè ſtagnans tantâ ferocitate poſſit ferire tunicam, ſed ſomnum, qui in hoc affectu conducit, promoveat, & fermentationes diminuat.

XXX.

Quod ſi *alvus* fuerit *adſtricta*, illam enemate ſequenti prolicerem, quod ℞. Herb. Malv. Violar. End. lact. ana Mß. Flor. Nymph. alb. Violar. ana p. j. Rad. Alth. ʒß. Sem. Card. Mar. End. ana ℥ij. Hord. mundat. M. ß. Decoquantur in Aq. commun. ad ℔j. in colatur: diſſolv. pulp. Caſſ. ℥j. Elect. hier. Simp. ʒß. ol. violar. ℥j. Sal prunell. ℥j. M. F. Clyſter.

XXXI.

Obſervandum verò ægrum non debere aſſumere cochlearia mixturæ ſuprà præſcriptæ, ut diximus, dum enemate utitur, ſed poſt 3. vel 4. horas: ſcilicet ſeptimâ veſpertinâ, clyſter poſſet injici, & decimâ illa exhiberi, ne hæc remedia in corpore ſibi invicem occurrentia, efficiant conflictum, ſequè mutuò enervent. Quomodò ſudorifera à purgantibus differant, Vid. *apud Clariſſ. Dn. Pechlin. Affinem meum paterno loco devenerandum, & Archiatrum Sereniſſ. Ducis Holſat. in exercitat. de purgant. pag.* 472. Quod ſi latus valdè inflammatum fuerit, tumorquè ſeſe offerat, ſpongiam, aut linteola duplicata, aut quadruplicata Spirit. Vini camphor. ebria, ipſi applicarem, ut ille diſſiparetur. Nam primis diebus ad ſuppurationem non eſt tranſeundum, ſed omnia per inſenſibilem tranſpirationem, ſi poſſible erit, reſolvenda, ac educenda. Alii apponunt lateri *cataplaſmata*, ſed quia illa ſunt medicamenta valde

 ſordi-

ſordida, ab illorum uſu abhorrerem, tum quia etiam ſuppurationem efficiunt. Si verò tumor medicamentis præſcriptis diſcuti non poſſet, ſed ad ſuppurationem tenderet, illam promoverem hoc cataplaſmate, omnemquè adhiberem diligentiam, ut tumor extrorſùm rumperetur, & non introrſum; quod peſſimum eſt, ac in *Empyema* tranſit. *Cataplaſma* erit ſequens: ℞. Rad. Alth. ℥j. Micar. pan. ℥ij. Croc. gr. XII. Fic. pingu. num. vij. Paſſul. mundat. ʒvj. Contus. & concoct. perquè cribrum agitat. adde Farin. Semin. Lin. Fœnugr. ana ℥ß. Ol. amygd. Butyr. recent. Lilior. alb. Terebint. ana ℥j. M. F. *Cataplaſma*. Hoc enim ſanguinem interius contentum in pus redigit. Itaquè illius uſus erit continuandus tamdiù, uſquè dum digito partem attingentes, ſub illo materiam fluctuantem detegimus, & tum aperiendum erit latus, ut pus poſſit educi: ſi materia illa purulenta intra tunicam & muſculos adhuc contineatur, nulla erit difficultas ad illam extrahendam. Quod ſi verò pleuritis in *Empyema* fuerit mutata, hoc eſt, ſi pus fuerit collectum in cavitate thoracis, curatio erit aliquantulum moleſtior, ibiquè paracentheſis inſtituenda, ut pus exeat, ne partes internas corrodat, quò pulmones aut febrem hecticam, aut phthiſin producant. Igitur ad operationem *citò* erit perveniendum.

XXXII.

Illa duobus modis inſtituitur, aut cauterio actuali, vel potentiali, aut ferro ſecante. *Galenus aphoriſ. comm.* 27. cauterio hydropicorum & empyicorum apertionem molitur. *Hippocrates lib.* 2. *de morbis* dicit, *empyicos ſecandos eſſe inter coſtas primò novaculâ, deindè verò ſcalpello acuto.* Recentiores, ut in Galliâ, utrumquè ſimul adhibent. Priuſquàm verò ſecuriùs ad operationem progredi queamus, lubet hîc locum conſiderare, ubi illa fieri debeat, quia Authores inter ſe hâc de re diſſentiunt. Sunt, qui inter tertiam & quartam coſtam illam eſſe faciendam, præcipiunt. Alii verò inter 4. & 5. ab ſpuriis numerando illam inſtituunt, ut *Clariſſ. Dn. Riverius* &c. Sed ne diutius his diſceptationibus immorer, & ut paucis me abſolvam de hâc materiâ diſſerens, (quia hæc medicatio directè pleuritidem non ſpectat, ſed aliqua ſeparatim tractanda eſt,) tradam hîc modum, quem vidi à Clariſſ. *Dn. Leſnot ſupralaudato*, peractum.

XXXIII.

Vir hic in Chirurgiâ Acutiſſimus, in anteceſſum monebat, ut ad

hæc

hæc tria, quæ nobis ſunt facienda, attendamus: & 1. IN *operatione*, ANTE, & POST *eandem*. ANTE *illam* obſervare oportet remedia generalia, ſcilicet *neceſſitatem & poſſibilitatem* ad illam faciendam: (2) ut conveniamus de medio, per quod illam molimur, ſive per *uſtionem* ſive per *ſectionem*, ſive per utrumquè. Deniquè, ut deſignemus locum, qui debet, aut per *electionem*, aut *neceſſitatem*, ſecari. Ratione *hujus*, ut, cum tumor quidam apparet, indicemus pus tantum eſſe in uno latere, ibiquè operationem eſſe peragendam. Ratione *illius*, ſi pus ſit *in latere dextro*, operatio erit inſtituenda inter 3. & 4. coſtam ab inferioribus numerando, ex oppoſito angulo inferiori ſcapulæ, trium digitorum infrà, aut præter propter ubi cubitum reponimus. Verùm ſi ſit *in ſiniſtro latere*, illa inter ſecundam & tertiam à ſpuriis numerando adminiſtrari debet. IN *ipſa operatione*, ægro jam in oppoſitum latus poſito, Chirurgus ſuum capiat ſitum, & poſtquam cauterium fuerit appoſitum (hoc enim præcedente die applicatur, ut vires ſuas eò melius exſerere poſſit) ſatiſquè cutem exederit, accipiat lancettam unam tantùm aciem habentem, & cujus dorſum occupat partem inferiorem coſtæ ſuperioris, ne lædat vaſa, quæ ſub iſtis fiſſuris jacent. Tum incipiat operationem, à parte anteriori verſus poſteriorem ſecando, ut fibras intercoſtales internas conſervet, quæ magis ſunt remotæ, & quæ inſtar baſis aliis inſerviunt. In ipſâ ſectione obſervet, ne pulmones latera thoracis in inſpiratione attingentes tangat: Hoc ut evitet, illam in exſpiratione crebrioribus vicibus peragat. Priuſquàm lancettam auferret, immittebat ſpecillum, ſive inſtrumentum à Gallis vocatum *la ſonde*, & poſteà intrudebat penicillum excavatum, ut ſic pro arbitrio poſſet ſufficienter extrahere pus. POST *operationem* immittebat cannulam, quæ paulatim erat curva, & parva, (ne eâ pulmones in inſpiratione offenderet) cui appoſitum erat filum: poſteà ſuperponebat penicillum linteum, parvulum linteolum, emplaſtrum, & aliud linteum plicatum, tandem magnum emplaſtrum, fomentum, & magnum linteum: deniquè faſcias, quarum exempla mecum ſervo. Obſervandum eſt illum non eduxiſſe unâ vice pus, ſed ſucceſſivo tempore. Addebat quoquè vulnus non eſſe præmaturè conſolidandum, ſed priùs omne pus educendum, hoc quod ex penicillis vulneri intruſis appareat. Emplaſtrum erat defenſivum *Vigonis*, cannula ex plumbo. Eandem operationem vidi apud *Dn. Lietot Chirurgum*

gum

gum Expertiſſ. Ducis Aurelianenſis, Præceptorem quoquè meum æternùm deveneranda: hanc quoquè hîc adderem, ſed jam limites & cancellos diſputationis tranſgreſſus ſum, neceſſum eſt, ut finem imponam huic materiæ, & ad alia, quæ mihi adhuc dicenda reſtant, tranſeam. Hanc ſupra poſitam ſequerer, & ut eô meliùs pus poſſet educi, liquorem ex Spirit. Vin. cum herbis, quæ putredinem inhibent, decoctum, in thoracem ſyringâ injicerem, ut ſic particulæ magis à liquore illo dilutæ poſſent exire; & hoc in omnibus vulneribus pectoris Chirurgos in Noſocomio, quod vocatur *la Charité*, Pariſiis facere, teſtis oculatus ſum. Inſpergunt quoquè pulverem Ariſtolochiæ rotundæ. Poſſent etiam uti *decocto*, *emulſione*, & ſi alvus non reſpondeat, *clyſtere*, ſupra præſcriptis.

XXXIV.

Exhibuimus in præcedentibus ea, quæ obſtructiones potuerunt tollere, mixturamquè ſanguinis reſtituere, neceſſe eſt, ut ea, quæ tuſſim expellunt, & expuitionem humorum in pulmonum bronchia illapſorum promovent, trutinâ examinemus. Hi, ſi nimis fluidi ſint, incraſſandi erunt ſequenti *eclegmate*, quod ℞. Diatragac. frigid. ʒij. Penid. ℥j. Syrup. jujub. Violar. ana ℥iß. Sulph. Terebinth. ana ℈ij. Gumm. Tragacanth. in aq. roſar. infuſ. donec benè intumeſcat ʒß. M. F. Ecleg. Sin verò nimis incraſſati, ſic ut ſputa non poſſint exire, attenuandi ſunt hoc pulvere ſeq. aut eclegmate. Saccharata nimia rejicio quia nihil præſtant, ſed magis obſtruunt, ne medicamenta poſſint in humores craſſos ſuas exercere vires. *Pulvis* erit talis. ℞. Spec. diatragac. calid. Rad. irid. Flor. ſulph. ana ℈j. Benzoës gr. vj. Sacch. cand. finiſſ. ℥ß. M. F. Pulvis in duas partes dividendus. Eclegma ℞. Spec. diaireos ʒß. Loch. de pino ℥ß. Syrup. capill. Vener. Hyſop. ana ℥j. Oxymel. ℥ß. M. F. Linctus. Multum fiduciæ pono in Syrupo de *pulm. vitul.* & *loch. ſan.* & *Expert.* quæ in officinis paſſim in Germaniâ proſtant. Lac Sulph. Spir. Sal armoniaci, C. C. in craſſos humores mirificè agunt. Quod ſi hi humores valdè acres ſint, utatur emulſione ſuprà præſcriptâ; nec incongruum erit mixturam ſuperiùs exhibitam in uſum revocare. Cæterùm præſcriberem *Decoctum* ſequens, quod *Clariſſ. Dn. Craanen* in hoc caſu commendat. ℞. Lign. Guajac. & cortic. ejuſd. ana ℥j. (ſi nulla febris ad ſit) Cortic. Rad. Cappar. Rad. Sarſaparill. Chin. ana ℥iß. Alth. ℥j. Herb. Tuſſilag. Capill. Vener. ana Miß. Paſſular. ℥ij. Semin. aniſ. carv. fœnic. ana ℥j. Hord. mund. M. F. Deco-

ctio

[illegible] ad ℥iij. Colaturæ addendo, ſi cauſa eſt ſalſa; Mell. Mercur. ℥iß. Lact. Sulph. ℈ij. Spirit. ſulph. p. C. ℈ij. (ſale verò abſente) Mell. Scyllit. ℥iß. Spirit. ſal. armon. ℈ij. Sal. card. Bened. ʒß. M. F. *Apozema*. Hoc utatur æger pro lubitu horis ſcil. matutinis, & veſpertinis ante cœnam: & poſt uſum 5, aut 6. dierum, purgationem commendo ex Extract. Agaric. gr. xv. Diagryd. gr. iv. Troch. Alhand. gr. ij. M. F. *Pulvis*. Et ſi nec tuſſis, nec ſputa ceſſerint, decocti uſum repetat.

XXXV.

Quod ſi *pleuritici* in *Anginam* incidant, muſculiquè laryngis ita ſint inflammati, ut aër & alimenta per os vix poſſint tranſire, periculumquè ſuffocationis immineat, ad *bronchotomiam* accedendum eſt, cujus operationem tribus tantum verbis attingam. Obſervanda erunt tria requiſita: ſcil. *In* operatione, *Ante* & *Poſt* eandem facienda. *Ante* operationem, ut omnia ad illam faciendam parata habeamus, locumquè, ubi illa fieri debeat, notemus: & in illis, qui longius collum habent, inter 3, & 4 annulum laryngis, ſecundum longitudinem erit illa peragenda, & in illis, qui brevius habent inter 4 & 5, ut ſic evitemus inflammationem. *In* ipſâ operatione, ut ægrum collocemus, caputquè illius teneamus firmum, paulatìm inclinans, ſive ſedeat in lecto, ſive in ſellâ: poſteà cutem cum panniculo carnoſo ſublevabit Chirurgus ab uno latere manu ſiniſtrâ, ipſiuſquè famulus ab altero, dextrâ. In dextrâ manu Chirurgus teneat lancettam, locumquè notatum eâ incidat. Si aliquantùm ſanguinis effluxerit, goſſypio erit excipiendum, ut eò melius muſculos bronchiales, & ſternohyoideos poſſit ſeparare, quos tenebit hamis obtuſis, ne nervum recurrentem lædat: hoc enim abciſſo, homo perdit vocem; quod vidimus Pariſiis *in ædibus ſupralaudati Leſcot*, ubi ſæpiùs 6, vel 7 canes habebamus victimas collegii anatomici experimentalis, quibus omnibus, ob ingentem ejulatum, quem edebant, nervus hic erat reſciſſus; indequè muti facti. Separatis his muſculis, in conſpectum venit *Arteria aſpera*, inter cujus annulos inciſio eſt facienda tranſverſalis: non extrahet lancettam, priuſquam ſpecillum fuerit intrurſum, ſupra quod demittat penicillum excavatum brevem, ne tangat latera oppoſita arteriæ aſperæ, & per hunc aër intrabit, & reſpiratio procedet libera: poſteà illum claudat alio penicillo e linteis carptis facto, & ſuprà hunc emplaſtrum aliquod defenſi-

vum, quod per [illegible]
Hoc ita apertum relinquit 3 aut 4 dies [illegible] tamdiu ſuffocatio durat: aliàs ſi ultra hoc temporis ſpatium aër ita crudus, & minùs præparatus intraret, læderet pulmones. Poſt hoc elapſum tempus, cannulâ extractâ, immittantur duæ aciculæ ex argento factæ muſculis, ut eò melius agglutinentur, vulnuſquè ut aliud conſolidetur.

XXXVI.

His omnibus ritè adminiſtratis & obſervatis, credo *Pleuritidem* ejuſquè ſymptomata facillimo modo poſſe curari. Non adjeci plurimas formulas, nec plurima medicamenta, quæ hoc in affectu proſunt, ob temporis anguſtiam, quæquè apud Authores Practicos, *Sennertum*, *Platerum*, *Hofmannos*, *Riverium*, *Foreſtum*, &c. legi poſſunt. *Clariſſ. Dn. Craanen* magnam ponit fiduciam in hoc pulvere, quod ℞. Semin. Card. Mar. gr. xv. Laud. opiat. gr. j. Camph. gr. iij. Sacch. Satur. gr. iv. ſal prunell. gr. xij. M. F. Pulvis. Alii laudant ſanguinem Hircinum, ſuccum cich. ſylveſtris, priapum cervi, & tauri, ſemina carduorum &c. quæ ſummo cum ſucceſſu, teſtante *Tachen. in Hippocrate chym. p.* 75. propinantur. *Hartmannus* ſudoriferum exhibet ex Spirit. Vin. nitr. ana ℈j. ad ʒß. cum aq. Papav. Errat. ℥ij. vel iij. *Martinus Rulandus in med. Pract.* præſcribit Pleuriticis Philonium Galeni, aut majus Romanum, hieram ex colocinthide N. *Myrepſi. Weckerus* inſignem pulverem habet, cujus deſcriptio extat *in ſuo libro de ſecret. p.* 119. *lib.* v. quo ſe fabrum quendam curaſſe, gloriatur. *Dioſcorides* horum ſequentium magnum deprædicat effectum, quem in hoc affectu præſtant. Ut ex. gr. Cent. maj. Ariſtoloch. rotund. & Coſt. radices, Agaloch. Æthiopim, & Trifolii aſphaltis folia ſemenquè, Myrrha, Bdellium, Aſſa fœtida cum aq. & vino pota. Commendantur quoquè cochleæ cum hordei decocto coctæ & comeſtæ. Sic etiam millefolii herbæ & radix contuſa cum aceto exhibita. Stercoris alb. Gallin ʒij. aut fulig. camin. tantundem, laudantur. In ſummo pretio habentur raſ. dentis apri, mandibula lucii, lapid. percar. Viſc. Quercin. Rad. Bard. Oculi luc. piſc. torrefact. Cancr. praparat. Taleol. leporin. Sperma ceti, Gumm. Ammon. Galbanum, Sagapenum. Chymici extollunt ſua medicamenta, inter quæ ſunt flor. Sulph. item Balſ. Sulph. aniſat. Terebinth. Spirit. & Sal. volatilia C. C. viper. Urin. Ammon. Spirit. Camphorat. Terebinth. Elixir. propriet. Paracelſ.

Spirit.

[illegible] & polypo-
dii, *Absinth.* Centaur. Minor. Alkekengi, lign. fraxin. Artem. Scord. Card. Bened. & Mariæ; Spirit. Tartar. volat. Sal Prunell. Corall. rubra, Reſinam terebinth. vel laricean. Bezoard. mineral. ac Jovial. Mumia, Lapid. Bezoard. ver. Ol. deſt. Mac. Caryoph. Fœnicul. Aniſ. Carvi Cort. citr. Succin. Tinct. Opij. Bezoard. *Clariſſ. Dn. Sylvius* Spirit. nitr. dulc. & armon. ſummoperè in affectibus thoracis laudat. Inter aquas deſtillatas caput extollunt Aq. Card. Bened. Mar. Puleg. Menth. Zedoar. Meliſſ. Fœnicul. Hyſſopi, Aniſ. Carminat. *Doncreil.* Spirit. Carminat. *Michaël.* Fœnicul. Zedoar.

XXXVII.

Ultimus fons *Diæteticus* ſe nobis conſiderandus ſiſtit, ſummoperè hoc in caſu obſervandus, qui in *rebus* ſex *non naturalibus* conſiſtit: *Aër* itaquè ſit purus ad calidum & ſiccum vergens. Venti imprimis æquilonii fugiendi. *Teſt. Hipp. lib.* 3. *aph.* 5. ubi dicit: *ſi vero aquilonia fuerit, tuſſes, raucedines, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, coſtarum dolores, & pectorum. Cibi* pro cauſæ varietate variant; in bilioſis victus magis debet eſſe refrigerans, quàm in pituitoſis. Continuus ſit uſus juſculorum juniorum carnium. Omnia ſalſa vitentur, ut & piſces torrefacti & fumati. Eligantur carnes perdicum, pullorum Gallinaceorum. Puls oryzæ, hordei, quoquè bonus. *Potus* ſit ſemper decoct. hord. cum paſſul. majoribus, & jujub. aut glycirrhyz. coctum. Vinum proſcribitur: ſed ſi illud valdè maturum ſit, concedi poteſt in caſu pituitoſo, præſertim modicum, & in hominibus aſſvetis. In genere verò obſervandum, quod *diæta* debeat eſſe *tenuis*, monente *Hipp. cap.* 44. *lib.* 1. *de vict. rat.* ubi præſcribit: pleuriticis ptiſanam, melicratum, & aquam, victum ſcil. admodum tenuem, uſquè ad nonum diem. Sed hîc aliquis mihi objicere poſſet, quod *Senex noſter lib.* 2. *de morbis* ſibi ipſi contradicat, dum illis τὸ οἶνον commendat, ſed μαλθακώτερον, quod *Excell. Dn. Pechlinus ſupralaudatus in exercit. ſuâ de purgant.* p. 323. pro *aquoſo & vili* ſive quod ὀλιγόφορον vocant, rectiſſimè accipit. Ergo *Hippocrates* non ſibi contradicit, ſed tenuem victum illis commendat. *Alexander Maſſaria* eundem victum præſcribit *lib.* 2. *cap.* 2. ubi agit *de pleuritide*, ut: vel ex pane jure, vel aquâ tenuiſſimè decocto, vel ex ptiſanis hordeaceis, quæ longè præſtant. *Somnus* capiatur, quando ille ſeſe exhibuerit: hic enim mitigat dolorem, fer-

[illegible]
Vigiliæ caveæ pejùs & angue ſunt [illegible]
Nimius motus vitetur, ut *Venus præprimis*, quæ hoc in caſu lethalis eſt; *teſte Amato*, qui illius funeſtum affert exemplum. *Vir*, inquit; *quidam à pleuritide curatus, alterâ nocte cum uxore rem habens incidebat in recidivam, & in fine ſexti die obiit.* Hâc enim proſtrenuntur vires, ſanguiniſquè effervescentia exoritur magna, ut ſic majori impetu in pleuram iterum ruant, illamquè afficiant. *Excretio nimia* alvi ſuſpicionem *diarrhæa* præ ſe fert, quæ hoc in caſu funeſta eſt. Itaquè mediocris illa debet eſſe: Sin vero non reſpondeat alvus, illa erit provocanda enematibus. *Omnia animi pathemata* fugienda, præprimis ira.

XXXVIII.

Hic finem diſputationi meæ impono, ſperans illa, quæ à me de pleuritide ſunt dicta, ad illius curationem ſufficere: ſi enim materiam illam, quæ ſatis eſt ampla eſt, ulterius pertractare aliterer, metuerem ne diſputatio mea limites tranſgrederetur, inquè tractatum excreſceret. Quod ſi verò quædam à me ſunt omiſſa, ponenda, & poſita, omittenda, eâ, quâ par eſt, humanitate B. L. rogo petoquè, ut huncce meum laborem in itinere conſcriptum, & ob temporis, librorumquè penuriam inexpolitum, æqui boniquè conſulat. Non curo zoilos, nec malevolorum rapidam linguam, ſed cum *Martiali* dico:

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli,
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.

Tibi verò Deus T. O. M. ſit Laus, Honos, & Gloria.

SEQUUNTUR COROLLARIA.

1. *Impii ſunt, qui moribundis rationem denegant.* 2. *Fermentum in ventriculo conſtituunt humores per arterias gaſtricas in illum delati cum reliquis ciborum particulis in rugis illius ſtabulantibus.* 3. *Fœtus in utero tam per os, quàm per venam umbilicalem nutritur.* 4. *Oculi moribundorum non franguntur, ut vulgò dicunt.* 5. *Dantur clyſteres nutrientes.* 6. *V. S. ſemper præcedat purgationem, ſi ordine curam noſtram inſtituere velimus.* 7. *Morbi plerique in obſtructione conſiſtunt, & ratione illius,* 8. *datur medicamentum univerſale.* 9. *Clyſteres in omnibus penè morbis valdè ſunt proficui.* 10. *Fonticulos, cucurbitulas, ſetacea tanquam inutilia, & contra circulationem ſanguinis, & rationem ſanam pugnantia, judico.*

FINIS.